

Pierij Val. Elephantus:

& regiones pro vario picturæ gestu significare ostendimus: eas verò qui domitari voluerit, viribus in primis esse præditum oportet, abundare opibus, vt quæ bello necessaria sunt facile comparet, & cum ipsis prouinciis arma semper exercere. Quapropter, vt mihi videtur, Natura ipsa rerum humanarum cognitionem hoc exemplo descripsit, quippe quæ elephantum suis viribus optimè præmunierit, & quæ regem addeceant adiecerit ornamenta, moresque & virtutes etiam regias vni illi ante omnia bruta, vt paulo infra docebimus, elargita sit. Quod verò pertinet ad prouinciarû subuigationem, videre est in C.



C A E S A R.

C. Caesaris numus.

Cæsaris numo elephatum promuscide surrecta, aduersus quem serpens quasi concertatus insurgit: in altero videas serpentem ipsius elephanti pedibus obtritum, in quo inscriptio est, C A E S A R. Potes ex illo, lacepsitum bello, & hoc, confectum intelligere. Neque verò me fugit, elephantum Maurorum lingua Cæsiam appellari solitum, quod Spartianus in Ælio Vero tradit, primumque Cæsar's cognomine nuncupatum, qui elephantum occiderat. Sed inepta hæc inscriptionis causa mihi videtur: crediderim autem potius ad munificentiam spectare, qua Cæsar elephantos exhibuerit.



A F R I C A

Q. C. Marii numus.

Qvem verò elephantum in Q. C. MARI numo compereris, ibidem adiectis hieroglyphicis id Africam prouinciã ab eo domitam, ditionemque Imperii; in Ægyptum usque propagatã, significare crediderim. Elephanti porro Pompeij Magni currum subiere Africam triumpho: & in numo argenteo admodum pulchro Scipionis Imperatoris inscriptione, cuius galea elephantini capitis speciem habet, inferne aratrum, antè spica posita est: quæ omnia ad Africam triumphum, & annonam inde largiter aduectam spectant. Inscriptio, Q. METELLVS.

Scipionis argenteus numus.

V. L E G I O.

In militaribus verò signis, elephantum legionis quintæ vexillis adpingebantur, propterea quod C. Cæsare aduersus Lucium Scipionem civili bello decertante, ea legio negotium sibi contra elephantos dari postulauit, reque strenue gesta reliquæ victoriæ occasionem præbuit.

O R I E N S.

Sed Augusto currum ex quatuor elephantis s. p. q. Romanus in numis descriuit, quod, vt puto, spoliis Orientis onustus Imperatorium inde triumphum duxerit. Id honoris Tib. Cæsar post adeptum imperium patri deferendum curauit, quod ipsa testatur inscriptio, quæ sic habet: TIB. CAESAR DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTI. P. M. T. R. P. O. XXIX. DIVO AVGVSTO. S. P. Q. R. Eundem honorem Claudius Auiæ Liviæ Circensi pompa, currum quippe elephantorum Augustæo simile decernendum curauit. Sed & DIVO AVGVSTO Vespasiano cur

D. Vespasiani numus.